

propter necessitates urgentes, ut communis utilitas præferatur. Quocirca modis omnibus expedit et oportet ut si etiam dictus Comes ad sequestrationem castelli non posset induci, cum ad eam non possit forsan de jure compelli, treugæ nihil-hominus fiant et firmiter observentur, donec hujusmodi controversia mediante justitia terminetur; ad quam utique sopiendam virum prudentem, sicut prædiximus, cum Dei auxilio curabimus destinare, per quem testes qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, compelli mandabimus perhibere testimonium veritati. Si qua vero partium tam necessario et sano consilio noluerit acquiescere, per censuram ecclesiasticam et tam per indigenas quam etiam peregrinos eam præcipimus coerceri.

Datum Viterbii, II. Non. Junii, Pontificatus nostri anno duodecimo.